

Eutitius. Eorum quę audiui partim nova, partim mihi vetera ^{a)} visa sunt: nova quidem de crebrescentibus ^{b)} malis ¹⁾, vetera vero de recordatione transactę felicitatis ^{c)}. Sed quia solet presentium malorum dolores recordatio preteritorum bonorum aliquando linire ^{d)}, nonnunquam augere, declinata ea parte, qua exasperantur dolores, ei animum intendamus, qua liniri ^{e)} solent.

Theophilus. Quę est illa?

Eutitius. Ut mihi videtur, spes evadendi: his enim qui sic affliguntur, ut spem evadendi amiserint, transacta felicitas ^{f)} poena ^{g)} est, his vero, quibus spes liberandi arridet, solamen.

Theophilus. Sic videtur.

Eutitius. Cum ergo sic videatur, peto ut collectione ^{h)} tuę dilectionis mihi satisfiat et quę diu intacta quasi inveteraverunt, mutua allocutione ⁱ⁾ atque retractatione innoventur.

Theophilus ^{k)}. Bonum desiderium omnimodis adiuvari fas est, morem ergo geram tibi secundum quod dederit divina propitiatio, dum tu ipse quid desideres et qualiter, cur etiam, assignaris ^{l)}.

Eutitius. Quid desiderem, in promptu ^{m)} est ²⁾: ea scilicet quę in palatio degustavi plenius haurire. Qualiter autem ut quę dicuntur non decurso pereant sermone, sed scriptis adhibitis fiat mihi quidam enchiridion ³⁾, quem prae manibus ferens secreti silentii mei habeam consolatorem ⁴⁾. Cur etiam manifestabo, ut non solum meę, sed etiam aliorum utilitati proficere possit.

Theophilus. Oportet igitur quę necessaria sunt per singulas dividi species, ut his capitulatim adnotatis atque propositis subsequens ordo expositionis nullo errore ⁿ⁾ turbetur.

Eutitius. Cum de statu ecclesię res agatur, hic erit quasi supremum genus: dividatur autem in his speciebus, qualis fuerit in principio, qualis sub passionibus, qualis post passiones, quibus auctoribus proventus

a) vetæra aus vetera korr. A. b) crebrescentibus C. c) foelicitatis C.
 d) So ABC; lies lenire D. e) leniri B. f) foelicitas C. g) pena B. h) ec
 als kursives a (cc—a) lesbar A; collatione C. i) alloquutione B. k) T mit
 spir. asper A. l) assignaveris B. m) promptu BC. n) aus herrore durch
 Rasur korr. A; vgl. S. 81 N. e.

1) *Urkunde Roricos vom 1. 10. 961, ed. Poupardin Nr. 3 S. 185; vgl. oben S. 50 Anm. 124.*

2) *Vgl. oben S. 51 Anm. 126.*

3) *Hiermit scheint er unseren Dialog selbst zu meinen (D).*

4) *Vgl. oben S. 28 f.*